

S.S. Hallström  
ant. 1919

SPECIMEN PHILOSOPHICUM

2

DE

DIFFERENTIA NOTIO-  
NUM INSTRUMENTALIU ET  
REALIU.

---

QUOD

Conf. Amplisf. Fac. Philos. Reg. Ac. Aboënsis,  
Publico proponit examini

AUCTOR

Mag. GABRIEL ISRAEL HARTMAN,  
*Philos. Theor. Docens, Aman. Biblioth. nec non Reg. Soc. Oecon. Int.  
Secretarius secundus.*

Respondentibus

ANDREA LUNDGREN, *Sveo-Gotho*, CAROL. GABR. WESTZYNTHIO, *Ostrob.*  
JOH. ADAM EDMAN, *St. R. Tav.* & ADOLHO SIM. APPELGREN, *St. R. Ost.*

Diebus 28 Nov. nec non 5, 15 & 18 Dec. MDCCCIV.

---

ABO Æ, Typis FRENCKELLIANIS.



IN SACRAM REGIAM MAJ:TEM  
SUMMÆ FIDEI VIRO,

E REGNI SVECIÆ PRO CERIBUS UNI,  
SUPREMO AD AULAM REGINÆ VIDUÆ MARESCHALLO,  
REGIÆ ANTEHAC EDUCATIONIS GUBERNATORI VICARIO,  
ACADEMIÆ ABOËNSIS CANCELLARIO,  
REGIORUM ORDINUM EQUITI & COMMENDATORI,  
ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO  
COMITI AC DOMINO  
DOMINO

CAROL. AD. WACHTMEISTER,  
GRANDI HJUS MUSARUM SEDIS COLUMINI,  
MECENATI SUO MAXIMO,

SACRUM

VOLUIT, DEBUIT  
AUCTOR.



SPECIMEN PHILOSOPHICUM

2

De

*Differentia notionum instrumentalium &  
realium.*

---

CUJUS PARTICULAM I.

CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. AC. AB.

PUBLICO PROPONIT EXAMINI

**M. GABR. ISRAEL HARTMAN,**

*Philosophiæ Theoreticæ Docens, Amanuens. Biblioth. nec non  
Reg. Societ. Oecon. Finl. Membrum & Secretarius  
Secundus.*

RESPONDENTE

**ANDREA LUNDGREN,**

SVEO - GOTHO.

*In Auditorio Anatomico Die XXVIII Nov. MDCCCIV*

horis p. m. folitis.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.





Hanc veniam petimusque damusque vicissim.

HORATIUS.

Quam certum est nos cogitare de rebus, quasdamque res scire atque earum affectiones & relationes observare; tam certo etiam constat, nos nostra cogitata cum alijs hominibus & loquendo & scribendo communicare. Jam inde a primis ætatibus, vix egressi e maxima feritate, ubi etiam fortasse gestibus sensa sua protulerunt, sermone usi sunt mortales; & postquam ad altiorem culturæ gradum pervenit genus humanum, fuerunt, qui non solum litteris suas cogitationes mandare didicerint, sed etiam qui indolem linguarum, quibus usi sint & utantur homines, diligenter sint perferutati.

Sed quamvis Philosophi, ex altera parte de ideis & cognitione nostra assidue cogitaverint, & ex altera simul cum linguarum peritis de harum indole & legibus diligenter scripserint; nemo tamen, ut putaverim, ad totam, qualis in se est, rationem communicandorum cogitatorum satis accurate animum advertit. E contrario mihi videntur philosophi instrumenta, nobis a summo optimoque Numine communicationis fere solum causa concessa, cum ipsa cogitatione & cognitione rerum sive ideis res representantibus, sæpissime confundisse. Quod si non fecissent, in tot errores, subtilitatesque metaphysicas verborum ambiguitate partas, unde exitum invenire non potuerint, certe haud incidissent. a) Hinc, si hoc

A

ita

a) Idem Locke sensisse videtur. Verba ejus sunt (*Essay on Human Understanding*, B. III. Ch. VIII. §. 17): *The ordinary Words off Lan-*



ita sit, patet, pernesariam esse disquisitionem accuratam veræ hujus modi s. rationis indolis, discriminisque notiorum realium & instrumentalium. Quare me laborem & ingeniolum meum in hanc materiam enucleandam non frustra impensurum fore putaverim; cum, speciminis academici loco mea circa illam rem cogitata peritiorum examini subjicerem & pro virili explicare & defendere conarer.

Mihi quidem objici potest, quod ex principiis, in hoc vel illo systemate philosophico obviis, mea de hac materia sensa non deduxerim; sed in tanta penuria certi, in tot ad idealismum & scepticismum vergentibus moliminibus, quæ systemata philosophica pleraque sciant, quibusque fidem minime esse præbendam existimaverim, non potui, quin propius ad sensum communem, usumque rationis simpliciorum ea, quæ statuenda esse putaverim, accommodarem. Quamobrem ad res ipsas, quales eas inesse in mente humana intellexerim, non quales ex principio quodam incerto, ut sunt revera plurima systematum philosophantium, non minus recentiorum quam antiquiorum, per vias logicas, scilicet ratiocinando, proveniant, refugiendum esse crediderim: putans me, in perscrutatione mea, principiis propriis superstructa & factis obviis consentanea, si scilicet id sint, non minus philosophaturum esse, quam si, res ipsas despiciens, ex præceptis cujusdam philosophi, propositam quæstionem pertractaturus essem.

---

§. I.

Quomodo Ens cogitans, summum, perfectissimum, infinitum, ideas & cogitationes in mente spirituum finitorum excitare

*guage, and our common Use of them, would have given us light into the nature of our Ideas, if they had been but consider'd with Attention,*

tare & immutare valeat, hoc loco non quæritur; sed tantum de methodo, qua in suis cogitatis communicandis utantur naturæ finitæ, præsertim vero homines inter se, disputandum est. Consilium enim, quo hoc argumentum explanandum nobis sumimus, aliud non erat, quam ut aliquid conduceremus ad scientiam cognitionis humanæ, præparandam: quæ scientia est conditio, sub qua verum invenire & de eo certi esse possumus.

Pro certo autem habemus, has naturas cogitantes non posse ea, quæ sciant, quæque cogitaverint, immediate aliis tradere, ut illa ex mente hujus in mentem alterius quasi fluant, & ita tanquam una cognitio ex duabus efficiatur. Spiritus finiti ita sunt limitibus circumscripti, ut alter eorum extra alterum sit, & nulla communicatio, nisi mediata, inter illos existere possit. In tertio scilicet quodam, ut in medio, cogitationes suas exponat alter, alter vero illas ex tertio illo sive medio quasi exhauriat, sibi que proprias reddat, necesse esse facile intelligimus.

Signa igitur externa cogitationum necessaria sunt, si alias existat communicatio illarum inter homines *b*). Alter illa signa ita proferre debet, ut illis, quæ cogitaverit exprimenda, accurate respondeant; alterum vero oportet hæc signa prolata excipere, & sic intelligere, ut ex indicibus eorum scire possit, quid ille, illis exhibendis, significare & proderet voluerit: Quod autem qua ratione, quibus instrumentis, quotque operationibus mentis, fieri debet, exponere adgredior.

*b*) LAMBERT in *Novi Organi Semiotica*, & §. 13 dicit, *Dass wir ohne solche Zeichen anderen unsere Begriffe nicht mittheilen können, ist an sich so klar, dass es keines Beweises bedarf*; & LOCKE in *Libro suo de Intellectu humano* (Lib. III. Cap. II. §. 1.) *Man, inquit, tho he has great variety of Thoughts, and such, from which others, as well as himself, might receive Profit and Delight; yet they are all within his own Breast, invisible, and hidden from others*



others, nor can of themselves be made appear. The Comfort and Advantage of Society not being to be had without Communication of Thoughts, it was necessary that Man should find out some external sensible Signs, whereby those invisible Ideas, which his Thoughts are made up of, might be made known to others. Et sic alii; illis fere tamen exceptis, qui existentiam rerum externarum per se negarant, & illam esse extra omnis nostræ cognitionis orbem positam contenderunt, quoniam illis de methodo, de qua agimus, non fuit disferendum. Hæc attuli vero, non ut claram rem auctoritate Philofophantium demonstrarem, sed ut cerneretur, rem, de qua conveniant omnes, demonstratione non egere.

## § 2.

Primo contuitu quidem duo tantum requiri videntur, ut efficiatur ejusmodi communicatio: prolatio scilicet signorum, eorumque perceptio, ut intelligantur. Si vero diligentius hanc materiam tractamus, perspicimus sex omnino operationes adesse, sive sex diversis rebus uti necesse esse, sive sex stationibus esse insistendum, antequam cogitata a mente ad mentem perveniant, seu antequam nostram mentem recte intelligere valeant alii homines, aut antequam nos aliorum sensa percepta & cognita habeamus. Quæ res & operationes sive stationes sunt sequentes.

*I. Idea & idearum series, quæ in mente nostra, res, de quibus cogitamus, nobis repræsentat, & in qua revera consistit ipsa nostra cognitio & cogitatio, quam cum alio quodam communicare, eique notam facere, volumus.*

Rem scire nihil aliud est, ac Ideam sive imaginem rei ejusdem mente tenere, qualisque illa sit considerare, & partes ejus, quatenus apprehendi possunt, animadvertere. Vides ex gr. machinam quandam artificiose constructam, ejusque structuram, indolem, usum, pervidendo & cogitando cognoscere studes: quatenus vero illam scis & cognitam habes? Eatenus scilicet

scilicet tantum, quatenus habes ideam illius machinæ ita effectam, ut hæc per illam, nulla nempe parte comprehensibili omisâ, repræsentetur, utque ita tibi sit illa idea loco machinæ, cum de hac ulterius cogitare velis. Scis Deum esse, quando Ideam ejus vere existentis habes. Scis qualis est, si Ideam ejus naturæ consentaneam tenes. Cognoscis hominem certum, quando idea ejusdem hominis ita uteris, ut, absente homine, eum tamen possis tibi in animo repræsentare & ideam considerando, quamvis partem ejus, quasi oculo quodam interno, cernere. Observandum quoque est, nos eadem ratione cognoscere rerum relationes, qua res ipsas, nempe tenendo ideam relationis; quod vero sit, cum ideas rerum in mente juxta habemus, & illas ita consideramus, ut, quomodo se invicem habeant, cernamus, e).

e) Lector facili negotio observat, vocabula SCIRE & COGNOSCERE hic idem significare. Illis sic vii volui, quia, me judice, idem est rem scire & rem cognoscere; nam nihil omnino ulterius scire possumus, quam id cognitum habemus, & contra. Sunt quidem, qui dicant, nos scire rem, quando non modo rem per se cognoscimus, sed etiam rationes sive causas rei cognitæ habemus; sed quis est qui non sciat, nos æque bene dicere: &, scire rem, &, scire causas ejus? scil. interest inter rem scire tantum, & rem penitus scire, ita ut etiam causas ejus sciamus. Hæc vero quæstio non est de scientia ut cognitione demonstrabili; sed de cognitione nostra in universum. Huc pertinet quod ARISTOTELES (ANALYTICOR. POSTER. L. I. C. 2.) dicit, ubi definire voluit quid per τὸ Scire (σῆναι) intelligendum; scil. SCIRE rem, esse idem, ac perspicere quæ sit causa rei, quod illa revera ejus rei causa sit, & quod hæc aliter se habere non possit: & secundum THOMAM CAMPANELLAM est SCIRE, rem per causas nosse (vid. BRUCKERI HIST. CR. PHILOS. TOMI IV. P. II. p. 131.) Quæ omnia de cognitione demonstrabili, sive Scientia, ut vulgo sumitur, manifeste agunt.

Philosophi diverso modo exponere voluerunt quid sit COGNOSCERE, quid sit COGNITIO. Opiniones eorum afferam, ut videat Lector quid certi & demonstratione ulterius non egentis in illis insit, quæ dixerim. WOLFF (PSYCHOL. EMPIR. PART. I. SECT. II. C. I. §. 5.)



§1, & 52) dicit: "Rem cognoscere idem esse ac ejus notionem vel Ideam sibi acquirere — Cognitionem esse actionem animæ, qua notionem vel ideam rei sibi acquirit: in quo cum illo congruit definitio cognitionis, quam exhibet BAUMEISTER quasi commentandi causa (ELEM. PHIL. REC. METAPH. §. 183): Actio illa, qua anima res sibi repræsentat & percipit, dicitur COGNITIO. Hic observare liceat, Actionem aut passionem non ad cognitionem ipsam pertinere, sed ad systema Wolfianum. Nam cum Ideam sive notionem rei tenemus, cuncta quæstione de ortu ejus Idæe sive notionis omisa, rem eatenus cognoscimus, quod cuique facile est intellectu.

LOCKE, cui plures consentiunt, (De intellectu hum. L. IV. C. I §§. I. 2.) dicit - - it is evident, that our KNOWLEDG is only conversant about our Ideas. KNOWLEDG then seems to me to be nothing but the Perception of the Connection and Agreement, or Disagreement and Repugnancy of any of our Ideas. In this alone it consists. etc. Scilicet putat cognitionem consistere non in ideis sive notionibus ipsis a mente perceptis; sed solum in earum convenientia & pugna, quatenus a mente percepta sit. Quare etiam (L. IV. C. III §. I & 6) dicit: We can have KNOWLEDGE no farther than we have Ideas - - - It is evident, therefore, that the Extent of our KNOWLEDG comes not only short of the Reality of Things, but even of the extent of our own Ideas - - - We have the Ideas of a Square, a Circle, and Equality; and yet, perhaps, shall never be able to find a Circle equal to a Square, and certainly know that it is so, &c. Sed longe aliud est perspicere relationes inter res intercedentes, & cognoscere res istas. Verum quidem est, nos eatenus etiam cognoscere relationes rerum, quatenus ideas illarum accuratas habemus; sed quando in notione Circuli quantitatem ejus non accurate cognitam, quamquam determinatam tenemus, mirandum non est, quod non possumus accuratam instituire comparationem inter Circulum & quadratum; nam non possumus cognoscere ea esse æqualia aut inæqualia respectu magnitudinis eorum, quorum magnitudinem non cognitam habemus. Ex altera parte vero luculenter patet, nos rerum relationes non posse cognoscere ulterius, quam ipsas res novimus, h. e. quam Ideas illarum mente tenemus — Unde constat, nos eatenus tantum res cognoscere, quatenus earum ideas habemus, & his ipsis absolvitur nostra cognitio.

KANT vero (ille quidem celeberrimus) ex tenore systematis sui statuit

statuit cognitionem in eo consistere, quod datæ Idæe se determinate referunt ad Objectum quoddam. Verba ejus sunt (CRIT. D. R. VERN. II AUFL. pag. 137. Conf. MELLINS WÖRTERB. D. KRIT. PHILOSOPHIE, ART. ERKENNTNISS): ERKENNTNISSE bestehen in der bestimmten Beziehung gegebener Vorstellungen auf ein Object. Object aber ist das, in dessen Begriff das Mannigfaltige einer gegebenen Anschauung vereinigt ist. Unde videtur cognitionem apud illum non esse nisi Ideam rei; cetera systema ejus respiciant, s. modum, quo, ex mente ejus, Ideas rerum habere possumus. Observandum autem est, cognoscere, ex præceptis ejus, certum semper Objectum respicere, quatenus sensibus, sive sensualitate mentis percipiatur, non vero quatenus cogitari possit aut cogitetur, ut possibile tantum, (Vide de hac re MELLINS WÖRTERB. ART. ERKENNTNISS & locum ibi citatum). Sed est notandum, nos cognoscere rem non amplius, quam Ideam ejus habemus, itaque aut ut possibile tantum, aut ut vere existentem. Acque nempe bene dicimur cognoscere rem possibilem quæ talem, ac cognoscere rem, ut sensibus perceptam; nam modus cognoscendi, cognitionis essentiam non efficit. Quod etiam ferit ea, quæ de cognitionis indole dicit ABICHT (SYSTEM DER ELEMENTARPHILOSOPHIE pag. 19. 109, & 128), cujus verba sunt: Mit den Erkenntnissen erkennen wir Gegenstände; das ist Thatsache - - - Das Erkennen ist nämlich ein Bewusstseyn in so fern es durch eine ERKENNTNISS bestimmt ist, ein Bewusstseyn von einem solchen und keinem andern Gegenstande zu seyn; und eine ERKENNTNISS ist eine Vorstellung in so fern sie Bestimmungsgrund des Bewusstseyns ist, &c. — Sed non est amplius de hujus verbi usu disputandum; cum omnino extra dubium esse putem, nos non nisi per ideas res cognoscere.

De re autem cogitamus, quando ideam illius rei in conspectum mentis provocamus, & ita tractamus, ut partes ejus quasi percurrendo, singulatim consideremus, quæ sint, quales sint, quomodo totam ideam sive rem repræsentatam efficiant — præterea, quando illam ideam cum aliis ideis comparamus, eas juxta contemplamur, & ad relationes, tali collatione ortas, attendimus. d)

Cuique manifestum est, nos cogitando non immediate res ipsas tractare, sed solum ideas rerum. Cogitando quidem possumus



sumus rem nobis familiariorē reddere, diligentius considerantes partes ejus, quales & quatenus in idea, quam tenemus, sunt obviæ: & conferendo istam ideam cum ideis ceteris, relationes rerum quæ & quales esse possint, detegentes: nam ejusmodi comparatione instituta, qua ideas rerum juxta & invicem animo intuemur, efficere quidem valemus, ut recte dicere possimus: ubi res, de qua agitur, in hoc vel illo statu est, quando a tali re ita aut aliter afficitur, vel quando hoc vel illo modo tractatur, vel ubi denique hac vel illa ratione cum aliis rebus convenit, & s. p. ita se habeat, ejusmodi relationes oriuntur, tales effectus proveniant, necesse est, quatenus scilicet rem ipsam, resque cum quibus illam comparamus, accurate per ideas nostras representatas habeamus — idque non aliter, ac chemicus, qui in officina materiam materiæ miscet, & effectus inde provenientes cernit, dicere potest & pro certo habere, ejusmodi effectus etiam extra officinam in gremio naturæ, ubi & quando eadem materiæ eadem ratione miscentur, necessario existere. Minime vero rem ipsam, quæcunque sit, cujusmodique natura & indole gaudeat, quatenus per se sit, cogitando invenire possumus, nisi jam in ideis nostris data & determinata est; nam illas, quas tenemus ideas rerum, tractare e), considerare, conferre quidem valet mens, non vero immediate augere, nec incognitam rem ad cognitionem perducere, nisi rebus ipsis percipiendis: nempe, cogitando, notitiam non rerum ipsarum, sed relationum inter res sibi jam cognitatas intercedentium, & eorum quæ inde consequuntur, acquirere possunt homines.

Qui vero plures partes, pluraque, ut dicunt, prædicata rei intra mentem tribuit & adnumerat, quam illius idea jam continet, vel quam ex ipsa re, percipiendo haurit, nisi relativa essent, certe errat, imaginationisque fructus sive factum pro re ipsa falso habet; quod igitur veritatis studioso vitandum esse, sole meridiano est clarius f).

d) De

d) De indole cogitationis multa docuerunt Philosophi, quorum taximen cogitata ad tres apte referri possunt classes:

I:º Qui putarunt cogitationem idem esse ac conscientiam, qua nobis omnium eorum, quæ in nostra mente sunt vel fiunt, consci sumus, ut cogitare rem, sive de re cogitare, idem omnino sit ac conscientium ideæ illius rei esse, & cum nullam rem cognoscamus, nisi quatenus ejus ideam in mente nobis representatam habeamus, h. e. cujus ideæ nobis consci sumus, cogitatio & cognitio revera idem significare videtur: sic WOLF (PSYCHOL. EMPIR. §. 23 & seqq.) notionem cogitationis exponit. COGITARE, inquit, dicimur, quando nobis consci sumus eorum, quæ in nobis contingunt, & quæ nobis tanquam extra nos representantur (extra nos, scilicet ut cogitantes, ut subiecta cogitationis). Cogitatio igitur actus animæ, quo sibi sui rerumque aliarum extra se conscia est. — Nos igitur cogitare affirmamus, quando nobis rerum quarundam aut operationum mentis nostræ sumus consci. Enimvero quando nobis nihili consci sumus, veluti in somnio, tum nos non cogitare pronunciamus. (De conscientia idearum in somnio non est cum illo disputandum, quia Systema Leibnitianum redollet, & quia cuique notum esse debeat, nos omnino nihil nobis representatum habere, nisi simul ejus consci sumus. — Quod idem etiam intelligendum est, in §. 26 ubi dicere pergit.) Omnis COGITATIO & PERCEPTIONEM (quæ est (vide ibid. §. 24) actus mentis, quo objectum quodcumque sibi representat — ita enim, inquit, percipimus colores, odores, sonos; ita mens percipit se ipsam & mutationes in se contingentes) & APPERCEPTIONEM (qua mens perceptionis suæ sibi conscia est) involvit. Scilicet operationem, cujus nulla pars abesse possit, in duos quasi diversos actus dividit, ut Systema, quoad ideas non adhuc ad conscientiam evectas, defensum & integrum haberet. — CARTESIUS, cujus principium philosophandi erat: cogito, ergo sum, etiam distinctius eandem cogitationis notionem exponit (PRINCIP. PHILOS. PART. I. ART. 9.). Ejus verba sunt: Cogitationis nomine intelligo illa omnia, quæ nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conscientia est. — Atque ita non modo intelligere, velle, imaginari, sed etiam sentire idem hic est, quod cogitare (Conf. BRÜCKERI HIST. CRIT. PHILOS. TOMI IV. P. II. p. 295.). Cartesius vero, postquam animam sive spiritum esse Substantiam cogitantem docuerit, statuebat spiritum semper cogitare, itaque etiam animam humanam, quanquam suorum cogitationum non semper esset conscia, veluti in somno; & ita no-



men cogitationis vel latius sumit, aut sibi contradicit. — LOCKE hanc notionem cogitationis, quasi jam stabilitam, nullaque disputatione egentem, habet. Ideas animo tenere & tractare erat ei cogitare, quod videre potest lector apud illum, LIB. CIT. B. II. C. 19. — Cum his convenit, non solum quod CHEV. DE JAUCOURT (ENCYCLOPEDIE OU DICTIONN. &c. à NEUF-CHATEL. ART. PENSÉE) dicit, cujus verba sunt: *On peut regarder le mot PENSÉE comme celui qui exprime toutes les opérations de l'âme. Ainsi s'appelle PENSÉE tout ce que l'âme éprouve, soit par des impressions étrangères, soit par l'usage qu'elle fait de sa réflexion* — sed etiam aliquo modo, quod ex recentioribus BOUTERWEK (ANFANGSGR. DER SPECUL. PHILOS. p. 45) arguet: *Der wirkliche Akt der Selbsterhebung des Subjects über die Objecte ist das ursprüngliche Denken, und dessen Resultat der Gedanke. . . . Es ist eins; ob wir sagen: Das Subject spricht sich selbst ein eignes Daseyn zu: oder Kürzer: ICH DENKE. En apperceptionem Wolffii, & in hac omnem liberam idearum nostrarum tractationem! Unde cernere potes quatenus cum illa, quam meam esse dixi sententiam, conveniunt re; quamquam verbis discrepant.*

210 Alii vero cogitationem, illam esse mentis actionem, qua relationes rerum & idearum percipit & observat, omnino idem, quod Locke cognitionis nomine notavit, (vide supra p. 6.) statuere voluerunt. Huc adnumerandi sunt e. gr. TETENS, qui (PHILOSOPHISCHE VERSUCHE ÜB. DIE MENSCHL. NAT. VIERT. VERS. I.) dicit: *Das Wahrnehmen ist Eine von den ersten Wirkungen des Vermögens der Seele, womit sie Verhältnisse und Beziehungen in den Dingen erkennet. Dießs ganze Vermögen will ich zusammen von nun an die Denkkraft nennen, so wie das Erkennen der Verhältnisse und Beziehungen in den Dingen überhaupt, ein DENKEN heißen kann. . . . Die Denkkraft, das Vermögen Verhältnisse und Beziehungen zu erkennen, ist dasselbige Vermögen &c.* — & DALBERG (VON DEM BEWUSTSEIN: p. 19 & p. 21.) ubi verba hæc exstant: *Das DENKEN äussert sich durch Vergleichen der innern und äussern Gegenstände. . . . Das DENKEN der Seele besteht in Vergleichen der Ähnlichkeit und Erkennen der Verschiedenheit.* Ab his non valde discrepat quod FICHTE (SÖNNENKLARER BERICHT &c. p. 6.) scribit: *. . . man kann nur NACHDENKEN über das beobachtete, nur dieses, so wie es beobachtet ist unter sich VERGLEICHEN, keinesweges, aber durch blosses Denken sich neue Gegenstände erschaffen.*

300 Sunt denique, qui cogitationem ad notionum tantum universalium tractationem, s. ad cognitionem per notionem universales, referant. Hujus cohortis antesignanus PLATO recte dicitur. Sensa ejus TENNEMANN (Geschichte der Philos. B. II. p. 295. 296.) ita Theodisce exponit: *Das Denken ist nemlich eine Art von innern Sprechen mit sich selbst. . . . und das aus Verbindung der Begriffe besteht, so wie eine Rede eine Verbindung von Nenn und Zeitwörtern ist. . . . Das Denken ist nun überhaupt das Verfahren mit Begriffen &c.* (Platonis verba sunt Theaet. p. 151. & Sophista p. 295. 296, quæ ibi videat, qui eorum ipse videndi cupidus sit). Addi adhuc possunt, quæ ex Platone (Phædo p. 181) affert TIEDEMAN (Geist der spec. Philos. B. II. pag. 184 seqq.) *Das Denken stellte sich Plato als ähnlich dem Empfinden vor, als ein Berühren des intelligiblen, ein Annähern zum intelligiblen, eine Richtung auf das intelligible, wie er denn das Empfinden ein Berühren der Körper nennt.* — Intelligibilia vero Platonis erant *Ideæ* (Notiones Universales) quæ ex ejus opinione erant divinæ & (si ita dicere licet) substantiales. Post Platonem, præter alios, LEIBNITIUS eandem fere cogitationis notionem fovit, quod ex Princip. Phil. more geom. demonstrat. Definit. CXXV, luculenter patet, ubi verba ejus sunt: *Cogitatio (Idea) est ipsa representatio distincta in subiecto individuo eorum, quæ in sensationibus vel phantasmatis pluribus singularibus similia sunt, per voces determinate significationis facta.* — Cogitationem ab apperceptione in genere distinguimus, & pro apperceptione universalium accipimus: . . . animalibus rationalibus in specie Cogitationem assignantes. Cum his congruit fere tota Schola Kantiana. KANT dicit (Cr. d. r. Vernunft. II Aufl. p. 94) *Denken ist das Erkenntnis durch Begriffe. Begriffe aber beziehen sich, als Prädikate möglicher Urtheile, auf irgend eine Vorstellung von einem noch unbestimmten Gegenstande.* (Conf. MELLINS Wörterb. der Krit. Philos. art. Denken.) . . . Eandem rem exprimit BECK (Grundriss der Krit. Philos. § 1.) his verbis: — *Denken heißt, sich Gegenstände durch Beylegung gewisser Bestimmungen (d. i. Merkmale oder Prädikate) vorstellen. Eine solche Vorstellung heißt Begriff, &c.*, KIESEWETTER (Grundriss. einer allg. Logik. — §. 12.). *Denken, inquit, heißt überhaupt diejenige handlung des Gemüths, wodurch Einheit des Bewusstseins in die Verknüpfung des Mannigfaltigen gebracht wird; oder auch, Denken ist das Vermögen (non facultas sed actus?) mittel-*



telbare Vorstellungen (d. i. Begriffe) hervorzubringen: & sic porro. — Cognitionem scilicet referunt ad objecta certa, Cogitationem vero ad notiones, quibus objecta in genere repræsentantur — sed in Definitione supra e Bouterwek allata, videntur ambæ conjungi; me vero iudice, hoc discrimen minoris est momenti; nam negari non potest, nisi usu loquendi rejecto, nos etiam tunc cogitare, quando ideas objectorum certorum (ut singulares) conferimus, & illarum relationes animo cernimus, atque etiam quando ideam rei certæ in mente sic volvimus, ut quæ, qualisque sit, videamus, quod fieri potest ita sine notionibus universalibus, ac si illis antea gaudemus. — Itaque cogitare idem est, ac Ideas suas quodam modo animo tractare, veluti cognoscere idem est ac Ideas rerum habere. Cognitionis scilicet exhibet materiam, quam cogitando tractamus. — Quod eo facilius mihi concedatur, quod Philosophi, quamquam inter se de limitibus discrepantes, tamen omnes in eo conveniunt, quod cogitare est animo tractare notiones; quare mea sententia est quasi complexus omnium illorum; quod eo melius est, quod nulli systemati eorum addictus sum.

e) Intelligas hoc vocabulo, omnem internam mentis circa ideas suas actionem, qua scilicet illas dividit, componit, duplicat, mutat, &c. — idem quod Sæthice dicimus: *behandla*.

f) Confer quod de hac re loquitur Fichte, loco supra citato. *METLIN*. (Wörterb. l. c.) dicit: *Das Denken ist also das Mittel die Anschauungen (Ideas rerum, quatenus sensualitate Mentis, sive ut locuti sunt: sensibus externis & internis, percipiuntur) zu verstehen, und alles Denken zweckt als Mittel auf Anschauung ab; denn das Denken wäre ein blosses spielen mit Vorstellungen, wenn es nicht zum zweck hätte, etwas dadurch zu erkennen, was nicht bloss gedacht, sondern entweder in der Anschauung gegeben ist, oder doch mit derselben nothwendig zusammenhängt.* LOCKE (On Hum. Underst. B. IV. Ch. III. §. 2.) postquam demonstravit nos omnem materiam cognitionis nostræ, omnes ideas & notiones, sensuum ope accepisse, affirmat: *That we can have no Knowledge farther than we can have perception of that Agreement or Disagreement (scilicet inter ideas nostras). Which Perception being. 1. Either by Intuition, or the immediate comparing any two Ideas; or, 2. By Reason, examining the Agreement or Disagreement of two Ideas, by the Intervention of some others; Or, 3. By Sensation, perceiving the Existence of particular*

ticular Things. Notandum vero est *Knowledge* sive cognitionem hoc loco continere etiam ea, quæ cogitando cognoscere valemus. Et sic de hac re senserunt fere omnes, qui non veritatem logicam (convenientiam notionum inter se) cum veritate reali sive materiali, sive objectiva (convenientia cogitatorum cum objectis sive rebus cogitatis, ut scilicet hæc tales in se revera sint, quales illas esse cogitemus) confuderunt, & quod potest esse, pro eo quod revera est, temere sumserunt, ut ARISTOTELES (Confer quod de illo scripsit Tennemann l. c. PHILOSOPHIE DES ARISTOTELES pag. 85.) & recentioris ætatis Philosophi, qui verum & possibile non satis dignoscere, inveniuntur.

Hæc omnia vero de indole cognitionis & cogitationis afferenda esse censui; ut, antequam ulterius explicemus modum, quo cogitationes, & cognitionem nostram aliis manifestare possumus, videas, quid per cognitionem & cogitationem sit intelligendum.

II. Notiones partibus Idearum sive cogitationum diverso modo, pro diversitate conditionis & artis, respondentes, terminis sive signis externis denotatas, animo tenere, investigare, in conspectum mentis proferre, ordine debito construere.

Hæc est secunda mentis operatio, quando in communicandis cognitis & cogitatis verlatur. Quæ autem ut magis perspicua evadat, sequentia mihi afferre liceat.

Cum primum sermone uti incepissent homines adhuc rudēs & inculti, sonum tantum articulatum, quem proderere valebant, observarunt, illoque usi sunt, nondum animadvertentes, eundem sonum pluribus in verbis obvenire, numerumque sonorum simplicium, quamquam in compositione syllabarum, verborum, orationisque, permagnum esse videretur, tamen revera non esse nisi admodum parvum. Sed ad altiorem cultus gradum jam protracti, facili negotio perspexerunt, nos non proferre plures quam circiter viginti quinque litteras diversas, quarum diversa compositione omnis sermo, omniaque verba linguarum efficerentur, & adhuc tamen infinite plures

B 3. voces



woces illarum ope proferri posse: ut hodie aliquot tantum supra viginti literis utimur scribentes, ad designanda omnium linguarum diversa vocabula g). Quod si non animadvertissent homines, necessario immensus evasisset numerus figurarum, ut hodie fere Sinensium, qui, quodcumque verbum propria figura denotantes, usque ad octoginta millibus figurarum uti traduntur. — Hoc exemplum nobis ostendere potest, numerum quoque diversarum partium in nostras ideasingredientium, si ad illas separatim attendimus, posse esse non infinitum, quamquam ideæ & res, quarum ideis gaudeamus, per multæ sint, numerumque illarum in infinitum extendi possit. Sic utique etiam res se habet. Quis enim est, qui non sciat, eundem colorem, figuram, motum, structuram, indolem &c. sæpissime occurrere nobis? Quantus v. gr. numerus rerum viridum? & sic porro. Unde intelligi potest, ideas partium diversarum, quatenus discerni & comprehendere \*) queant, facili negotio posse memoria teneri & in ordinem redigi, quamvis ideas rerum perceptarum & cogitarum, omnes, ob immensam multitudinem, nullo modo retinere valeamus.

g) Nam si literæ sunt viginti quinque, si in hoc numero vocales, quæ sonum sustinere valent, sunt novem, & si scire velis quot vocabula existere possint, quoque vocabulo tantummodo duabus litteris constante, facile invenies jam inde, præter novies novem vocales duplicatas, ducenta octoginta octo diversa vocabula oriri posse, & vocabulorum ex tribus litteris consistentium præter novies novies novem vocales triplicatas, tredecim millia, & octingenta octoginta octo, extare. Unde quisque scire potest, quam immenso numero vocabulorum uti possunt mortales, cum non solum plures litteras in quaque syllaba, sed etiam plures syllabas in uno verbo ponere valent, licet numerus sonorum simplicium sit admodum angustis limitibus circumscriptus.

\*) Scil. ut eadem & ut diversæ.

Quod vero cum ita sit, facile intelligimus, quomodo oriuntur Notiones, quæ, ob causas mox exhibendas, universales

fales nominantur. Attenditur nempe animus ad diversas partes rerum obvenientium, quibus separatim considerandis & in mente tenendis, notiones simplices oriuntur, quibus postea tanquam litteris cogitationum utimur. Itaque ex una re tot accipimus notiones simplices, quot sunt partes, i. e. affectiones & relationes &c. illius rei, quatenus sigillatim animadvertuntur. Præter has simplices, compositas ex paucioribus aut pluribus simplicibus, notiones habemus, quas mens aut vi propria ex simplicibus illis scilicet una animo contemplandis, rursus composuit, aut ex ideis rerum obvenientium, eodem modo ac simplices, jam compositas i. e. pluribus ex partibus discernibilibus jam constantes, hausit. Nempe: ex infinitis illis, quæ a simplicibus componi, & ex ideis rerum immediate formari queunt, illas tantum notiones memoria complecti curamus, quæ frequentius occurrentibus rebus & circumstantiis respondent, & quas, eo ipso, utilis esse nobis judicamus, ut notiones trianguli, hominis, arboris, bruti, lapidis, edendi, loquendi &c. quæ sæpe quidem quasi nota quadam rem designat, \*) sæpissime tamen valde compositæ sunt. b).

\*) E. gr. Notio animalis cujusdam, ex Zoologia comparata, quæ Notio dentes animalis solum spectet.

b) Mens, in notionibus suis, de quibus loquimur, acquirendis & in ordinem redigendis, intra se idem facit quod ille extra se (ut quasi in speculo videas imaginem hujus operationis), qui colligit & depingit sibi herbas, fructus, animalia, colores, figuras &c. Observanda scilicet sunt sequentia: 1:0 In initio libri sui simplices colores, figuras & partes hic ponit, ut eo facilius magis compositas res in ordinem postea redigat. — 2:0 Unum tantum cujusque generis depingit, vel potius, ubi res, quam jam habet depictam, ei obvenit, in illa depingenda rursus operam non ponit, sed tantum in illis, quas non antea collectio ejus habet, ut insit in illa exemplar omnium rerum occurrentium. 3:0 Quando rem depingere vult, illi necesse non est scire, an sint in mundo plures res ejusdem generis, quam illa, quam invenit & depingit. 4:0 In ordinem res hoc modo collectas sic redigere studet, ut facile unamquamque earum rursus inveni-



invenire possit. 5:º Sic in illis considerandis versatur, ut illi familiares fiant, utque mox, quando res in mundo occurrat, illam agnoscat & sciat, non solum an sit eadem quam habet depictam, sed etiam qualisque sit quatenus aliis sit similia, & quæ sibi propria habeat, quoniam jam considerando exemplar suum hæc omnia quodammodo observaverit, & ad rem obvientem ea applicare possit. 6:º Si consilium colligentis est, ut ex collectis, res occurrentes agnoscat & sibi familiares, ut jam, figuris suis considerandis, cognitæ, habeat, omnia ea ex collectione sua ejicit, quorum similia non amplius invenit, ut multitudinem supra modum non augeat, sed facilius conservata & sibi cognita habeat cetera, cum inutilia non curet; quamquam a priori quasi non potuit scire, an res quædam esset utilis suæ collectioni nec ne, proptereaque illam conservare voluit, donec expectando videt sibi illa opus non esse. & s. porro. Sic omnino in colligendo notiones mens se habet — quod intelligenti est manifestum. — Notandum tamen adhuc est mentem in collectionem suam notionum, non solum rerum, illarumque partium notiones, sed etiam relationes, causas & effectus &c. excipere, non solum res externas sensibus perceptas, sed etiam internas conscientia immediata animadvertas.

Notiones igitur tam simplices quam plures compositas memoria tenemus, quas universales appellamus, & quæ ab illis, quæ res ut existentes repræsentant, accurate distinguendæ sunt. Seriem sive ordinem proprium efficiunt, diversum omnino ab ordine *idearum realium* (quas ob immediatam objectorum repræsentationem ita nominare liceat), quæ, aut mundum, resque existentes quatenus illas cognoscimus, aut imagines phantasiæ quæ sunt, quasi res essent, & omnia circa has res aut veras aut imaginarias cogitata, serie sua nobis quasi in speculo repræsentant, cum e contrario illæ, quas nomine notionum universalium adhuc designavi, nullam rem sicuti rem repræsentant, sed ut verba in Lexico, ita illæ in mente sunt ad usum paratæ, quando illis uti volumus.

Diximus notiones illas simplices & compositas, quæ propriam & ab ideis realibus omnino diversam seriem constituunt, nomi-